

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Invste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 3. Laconis, Elisei, & Theodosij de obseruantia erga Magistros iudicium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](#)

nena & aperta parricidia vitam subducunt;  
videant, inquam, quām vita ipsi indigni  
sint; quamq; longè à D<sup>E</sup>I præcepto rece-  
dant, statim enim post D<sup>E</sup>V<sup>M</sup> iubentur  
colere parentes, ob similitudinē, quam ha-  
bent cum Deo, vt D. Thomas docet, ab illis S. Thom.  
enim accipiunt vitam, escam, doctrinam, opusc. 7<sup>r</sup>  
fidem. Quia igitur vita est à parentibus, si-  
c ut feudum à principibus; si fideles sunt,  
eius conseruationem, si infideles eius priua-  
tionem merentur. Vel ciconias imitemur,  
quæ parentes, cùm senuerunt, plumis suis  
fouent, humeris gestant; escis nutriunt, vt  
D. Ambrosius monet. Vno verbo, ita filios  
constitutos esse oportet, vt nomen antè no-  
rum, quām parentis nostri obliuiscamur.

§. III.

Laconis, Elisei, & Theodosij de obseruantia er-  
ga Magistros indicium.

2. Parentibus præceptores assimilat  
Philosophus, quibus itidem par reddere  
non possumus; ita enim ait: *Magistris, dijs,* Aristot.  
*& parentibus non potest reddi aquivalens*, vbi lib. 9.  
parentibus magistros præponit, quia ab illis Ethic,  
vitam, ab ipsis bonam vitam habemus: &, Cic. lib. 3.  
vt Cicero ait: *Iidem erant antiquitus viuendi præceptores atque dicendi.* Hinc, vt idem de orat,

H 2

alio

**Idem in**  
**Lxx.**

alio loco scribit. *Pædagogi negligendi non sunt sed quodammodo colendi.* Nam sicut parentes filiorum corpora effigiant, ita præceptor discipulorum mentes format. Quæ res tantò pretiosior videri solet, quantò homo interior homine est exteriore præstantius.

**Plut. in**  
**Lacon.**

Lacon quidam pædagogus pueri cura suscepta, cùm interrogaretur, quid esset illum docturus? *Efficiam*, inquit, *ut honestis delictetur, turpibus offendatur.* In veteri testamento, quanti fecit magistrum suum Elias Elisœus, quem sciens raptum iri in cælum deserere noluit, quamuis Elias ei diceret:

**4. Reg. 2.** *Sede hic, quia Dominus misit me usq[ue] in Bethel. Cui ait El[ias] s[ic]: viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te.* Atque ita tertio respondit, in exemplum eorum, quibus vel vna hora graue est cum Magistro suo ambulare. Quid dicam de Apostolis, Christum, vt Magistrum suum ac Preceptorem,

**Matth.**  
**26. 18.**

venerantibus? eum vbiique prædicantibus,

**Luc. 22. 11.**

& laudantibus? atque pro eius nomine san-

**3. 24. 9. 33.**

guinem & vitam fundentibus? Theodosius

**23. 7.**

Imperator liberis suis virtutis magistrum pref-

**Niceph.**

sere volens, Arsenio illi, cuius gloria terram sub-

**lib. 12.**

sole omnem peruagata est, inuenito, eos commisit

**hist.**

quibus ille suscepit, cum disciplina omni prae-

**Ecccl. c. 23.**

ptoris

ptoris, tum liberali educatione, patris illis loco  
fuit. Imperator enim illum, ne quem ex Imperio  
sublimitate conciperet metum, sed illis potius ut  
seruis uteretur, admonuerat. Tantum verò ut  
id ille fecerit, abest, ut insigni modestia & mode-  
ratione diuersum potius fecerit. Et cùm dere-  
pentè Theodosius ad eos aliquando venisset, pue-  
ros quidem cum splendore magnifico confidentes,  
Arsenium autem inter docendum eis astantem  
reperit. Quia de causa Imperator indignatus,  
cùm illos insignibus principalibus nudauit, tum  
sempiterna memoria dignum, & verè imperiale  
illud verbum est prolocutus: Si tales se prabituri  
essent, ut mores vitamq; suam ad disciplinam &  
leges Dei componerent, propensum & illum fa-  
re, ut eis Imperium in manus tradat, ad ciuium  
& subditorum commodum & utilitatem accom-  
modatum: si minus, conducibilius eis esse dixit,  
ut sic priuatim vitam exigerent, quam doctrina  
nulla cum periculo imperarent. In hunc mo-  
dum Theodosius filiorum suorum Præcepto-  
rem Arsenium honorauit. Quid autem fe-  
cerit alter discipulorum, diuina prouidentia  
regente, sic pergit narrare Nicephorus. Sed  
gravis ea prouincia Arsenio visa est, qui curas  
eiusmodi odixerat, & à talibus turbis & tumultu-  
bus alienissimus esset. Proinde Deum est preca-

H 3 tus,

eis, ut honesta preberetur causa, qua à presentibus liberaretur vinculis. Et Deus breui id fecit. Admisit delictum quoddam Arcadiu quod quia impunitum relinquere non petuit, ferula illum coercens Arsenius castigauit. Atque ille factum id tamquam iniuriam agre ferens mortem ei est molitus. Consilium id clam captum ubi Arsenius rescivit, insolenti illo uestis reiecto, quam primum in Scerimo se contulit, & calitus ad se delatam vocem audiit: Arsenius, tumultu fuge, & saluabere. Et, vinente quidam Theodosio, latuit. Postquam autem Arcadiu ad Imperium peruenit, Angelicam eum considerari vitam innotuit. Proinde Imperator ab eum scribens, cum precationem benedictionem eius, tum peccati gratiam ab eo petiit. Eademque ut Ægypti totius tributum pauperibus praberet, permisit. Sed hoc ille non recepit. Ita Arcadius discipulus, prius ingratus, postea quantum Arsenio deberet, agnoscens, Praeceptorem suum honorauit.

## §. IV.

Alia illustria exempla eorum, qui Praeceptorum suos honorauerunt.

Petr.

Math.

lib. i. hist.

Gallic.

Magnis & alijs Principes honoribus Magistros suos sunt venerati. Hadrianum Praeceptorem suum Carolus V. post varia atque magna